



loris speciem prae se fert. Quod satis acute uidit doctissimus MAIMONIDES, qui myrrham illam libere fluentem, quae accuratissime dicitur *σακτι*, et ea ipsa est, quae, docente SALMASIO, <sup>a)</sup> dicitur *Χειση*, dixit **רם** sanguinem. Habe MAIMONIDIS uerba: <sup>b)</sup> **המור הוא הרם הצרור בחיה שבהורו הידוע לכל שמתכשמין בה בני אדם בכל מקום.** *Myrrha, scilicet sanguis balsami uiui, i. e. (σακτις) quod in India est, de qua notum est omnibus, quod ea condiantur homines ubique.* Minus commode minusque recte ea uerba reddidit LVDOVICVS DE COMPIEGNE DE VEIL in tractatu *de cultu diuino*: <sup>c)</sup> „Myrrha autem ista oportet intelligi concretum sanguinem certae cuiusdam ferae, quae est in India.” R. MOSES COHEN ad marginem obseruauit: **המור הוא הרם הצרור א"א אין רעתי מקבלת שיכנסו במעשה הקדש ום שום חיה בעולם כל שכו רם חיה טמאה אכל המור הוא המור בשיר השירים כאתי לגני אחותי כלה אריתי מורי עם בשמי והוה ממין עשב או ממין אילן וריחו נורף.** *Myrrha haec, sanguis est. Sed ego dico, nescio ex traditione, quod unquam coniunxerint in opere sacro quicquam sanguinis, quia sanguis animalis uiui polluit, uerum myrrha haec, illa est, de qua dicitur in Cantico V, 1. ueni in hortum meum, soror mea, sponsa, decerpsi myrrham meam, et aromata mea; haec est species plantae, aut species arboris, et odor eius late dispergitur.*

## VI

REGES E GENTE DAUIDICA VNCTI QUIDEM SVNT EODEM,  
QVO PONTIFEX M. OLEO, SED MODO  
VNCTIONIS DIVERSO.

SI ueterum Hebraeorum dictis in rebus ad illos pertinentibus fides est habenda, quod nemo dubitat, satis apta, et regia maiestate satis digna fuit unctio regum sanguine Dauidico editorum. Republica enim Hebraea

C

in

a) in Solinum Tom. I. p. 545.

b) de Vasis Sanctuarii Cap. I. §. 3.

c) p. 40. edit. Paris. 1678. 4.